Quelle:
Copyright:

7. Fol: 155a – 160b.

Hugonis de S. Victore claustrum animæ.

Inscriptio hujus opusculi est: "Incipit claustrum anime hugonis de sto victore Incipit hic vita perfectorum tu si vivis ita tibi cedet celica vita amen." Initium: "Introduxit me rex in cellam vinariam hec sunt verba sponse fratres." Inscriptio hæc duplici de causa erronea est; primo, quia Hugo de S. Victore non est author libri de Claustro animæ, ut videri potest in Bibl. m. & inf. latin. Fabricii T. III. pag. 294. sed Hugo de Folieto Corbejensis Canonicus, et postea Cardinalis; secundo, quia præsens opusculum longe aliud est à Claustro animæ, quod quatuor constans libris, valde prolixis extat inter opera Hugonis de S. Vict. Mog. 1617. T. II. pag. 30. Unde facile crediderim breve hoc Scriptum de opere fusiori excerptum esse decerptum.

8. Fol: 161a – 170b.

S. Bernardi Tractat. de contemplatione.

S. Bernardi Tractatus de contemplatione. Titulus præcedit: "Sanctus Bernhardus de contemplacione: Quam vehementiam plezu amplexasti me". Inter opera S. Bernardi non reperitur, nec alicubi in illum offendi, unde aut opus anonymi est, aut fragmentum prolixioris.